

git; succinum ex suo Capite mortuo regenerat; pro genuino Elixir proprietatis myrrhæ singularem solutionem tradit; Cornu cervi sine igne cum Calce viva calcinat, ac Tincturam ex sale urinæ fixo, usui medico æque ac metallico accomodatam extrahit. De cætero variorum phænomenorum chymicorum ætiologias evolvit, ac controversias non leves dirimit, v. g. quod alcalia fixa revera differant; Cantharides succum vesicatorium in intestinis & sal volatile in pedibus habeant; unde Aurum a spiritu vitrioli philosophico albescat; aliquid Mercurii butyro antimonii & Mercurio vitæ subesse; sulphur Antimonii vulgare haud esse purum sulphur; cur ponderi Antimonii per hujus infusiones nihil decedat; ut reliquas materias taceamus, theoretico non minus ac practico jucundas ac proficuas.

SCUTUM SOBIESCIANUM, & ENSES

Electores Saxonici, Novi in Cælo Asterismi.

Quod præficus gentilium Astronomis familiare dudum fuit, ut præstantium Heroum nomine certis stellis, in asterismi speciem compactis, indito, memoriam eorundem æternitati consecrarent: illud, postquam successu temporum, toto pene stellarum exercitu in signa certa jam disposito, inolevit, præfenti iterum seculo moris esse coepit, ex quo cælum intentioribus oculis inspectum, novos veluti cæli incolas, novasque stellarum cohortes in aciem produxit, nullo adhuc caractere notatas, aut in sideris aliquam speciem collectas. Sic celeberrimo *Galileo Galilei* Satellitum Jovialium quaternio tubospectilli ope detectus, sub siderum Medicæorum titulo, Serenissimæ Domus Medicæ gloriæ consecratus est: cujus ad exemplum anno 1642 *Joannes Antonius Maria de Rheita*, in oculo *Enoch* & *Elia* quinque alias stellas sibi primum visas, & circumjoviales creditas, Urbanoctavianas, honori tum viventis Pontificis Romani nuncupavit. Par institutum *Michaeli Florentio Langreno* sua Lunarium macularum nomenclatura fuit. Deditque memoriæ perpetuæ servati sub latebris quercus *Caroli II Magnæ* Britanniæ hodie Monarchæ, Robur Carolinum, ad alterum polum, inter *Argo* navem, Piscem volantem, Chameleonta & Centaurum, duodecim stellis emicans, nobilissimus Angliæ Astronomus *Edmundus Hallejus*, in Catálogo suo stellarum australium.

TAB. X.



Gemino studio, Potentissimos Principes, Johannem III Poloniæ Regem, & Joannem Georgium III Saxonix Electorem, illum scuto gentilitio, hunc ensibus electoralibus inter sidera effulgentes, hic exhibemus. Et Scutum Sobiescianum celeberrimum *Hevelius* Regi suo, cum circumjacentibus asterismis, prout in *Opere Uranographico* ejusdem Autoris propediem edendo conspiciendum erit, delineatum, lapso vere dedicavit; nobis vero magnitudines, longitudines & latitudines stellarum in subjecta Tabella humaniter transmisit, quas B. Lectori, ut situm sideris in globo investigare possit, communicandas duximus.

Nomina Stellarum.	Magnitudo.	Longitudo.		Latitudo Bor.	
		o.	' //	o.	' //
In limbo Scuti superiori ad cuspidem Aquilæ	4	8.13.	26. J	18.	17. 49.
In limbo Scuti orientali.	5	5.42.	39. J	16.	57. 46.
In limbo Scuti occidentali superior	5	10.57.	23. J	14.	59. 13.
inferior nebulosa.		3.3.	17. J	9.	5. 24.
In Cruce Scuti occidentalis	4	4.53.	9. J	15.	1. 29.
orientalium superior	5	6.49.	37. J	15.	6. 33.
inferior.	5	6.37.	29. J	14.	2. 25.

Enses Electorales Saxonicos pietati erga Clementissimum Electorem nostrum *Godofredi Kircbii*, solertissimi Astronomi debemus. Horum in cælo situm, adjectæ stellæ vicinæ celebriores luculenter designant: ipsæ stellæ, numero octo, nudis oculis omnes sunt conspicuæ, earumque fulgentior in interfectione Ensum, fixis quartæ magnitudinis accensenda venit, reliquæ ad quintam & sextam magnitudinem accedunt: literis vero characteristicis Herois nostri nomen commode referentes, non interiruram unquam tant i Principis gloriam non vano omine pollicentur.

M. TUL.

Scutum
SOBIESCIANUM



856